



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Lib. II. cap. 10. de eorundem fide dubiâ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

CAPUT DECIMUM,

De

*Conciliorum particularium à Romano Pontifice non adprobato-
rum fide dubiâ.*

EVangelici sicut Conciliis etiam, ut vocantur, generalibus nullam in se fidem adscribunt indubiam, nisi Regulæ Fidei consona decernant, ita facilis ex eo est consequentia, quid de particularium Conciliorum certitudine statuatur. Utrobique, quod iactatum à Bellarmino Romani Pontificis adprobationem concernit, eadem ex Eorum Sententiâ circa valorem eorum est ratio. Quia autem Bellarminus in præscripti Lemmatis demonstratione binâ iterum vice ad Augustini provocat auctoritatem, an legitimè illud fiat, breviter videndum. Ostensus igitur Bellarminus ex communi, ut scribit, Catholicorum sententiâ, posse Concilia particularia errare, Eorumque decreta non valere, nisi accedente Romani Pontificis adprobatione, Augustinum pro teste adducit, non dicente, heresin Pelagianam à Conciliis Africanis, quæ particularia erant, damnatam sed à Pontificibus Romanis, Innocentio & Zosimo, cooperantibus Conciliis Africanis. Addit deinde, posse tamen Concilia etiam particularia definire Dogmata verè dubia, & Eorum decreta esse firma, si id faciant ex commissione Sedis Apostolicæ, vel saltem si Decisionem suam mittant ad Pontificem Romanum, & ab eo confirmationem accipiant, quomodo constat factum esse in Conciliis Milevitano & Carthagenensi ex Epistolis Augustini. Notandum hic ante omnia in genere, plurima Augustini testimonia in hoc Bellarmini opere Polemico bis, terve, imò sæpius etiam occurrere; ubi non opus est, singulis semper locis responsum adponere, sed latis erit ad ea provocare, quibus jam ante latis est factum. Cum igitur utrumque hoc, quod ex Augustino in suos vertere usus conatur Bellarminus, jam supra sit excusum, ubi de Controversiarum Fidei Iudice est actum, Lector benevolus non gravabitur, ibi dicta huic etiam objectioni adplicare. Id nunc tantum ex superabundanti addo, non immeritò mirum videri posse, quod Bellarminus in defendendâ Romani Pontificis supereminenti potestate toties fuerit ausus ad Ecclesiarum & Conciliorum in Africâ testimonium & consensum provocare, eum tamen certum sit, non tam fortiter hodiè pro Libertatibus Ecclesiasticis Gallos militare, quin longè fortius & constantius Afri per longum benè tempus, tanquam Vindices acerrimi pro iisdem steterint & pugnaverint, id quod laudatus modò ArchiEpiscopus Parisiensis, *Petrus de Marca*, in alterâ operis de Concordiâ Sacerdotii & Imperii parte, non uno in loco ex manifestissimis documentis orbi Christiano exposuit, Cardinalem *Perronium* non semel perstringens, ea in gratiam Sedis Romanæ sæpius torquentem, ne id exhibere videantur, quod reverà debebant, arte, si quæ est, à Bellarmino etiam adhibitâ.

Lib. II.
Retract.
cap. 50.num. 90.
seqq.L. 6. c. 14.
& lib. 7.
cap. 15.

CAPUT DODECIMVM,

De

*Auctoritate Conciliorum & Scripturæ Sacræ inter se
comparatâ.*

Variæ hic iterum artes Bellarmini minus honestæ possent detegi, nisi Augustinus & hic pro Scopo esset respiciendus, quem Bellarminus ipse non quidem contra hæreticos, quos in hoc opere sibi constituit adversarios, in quos omnia Eruditionis suæ tela evibraret, sed contra *Gratianum* Juris Canonici compilatorem sumisit vindicandum, non alium in finem, quàm ne Conciliis plus, quam Sacris Literis adscribere videantur Pontificii. Præmissis igitur hujus rei gratia quinque differentiis, quibus Sacras Literas Conciliorum Decretis præferendas esse statuit, quavis rem hanc non ex animo tractans, ut ex omnibus circumstantiis est manifestum, ad ea etiam respondere conatur, quæ ex parte adversaria solent objici, contrarium videlicet persuadentia, aut ad minimum Concilia Sacræ Scripturæ æquiparantia. Eahunc in modum proponit Bellarminus: *Objiciunt quidam, quod Gratianus adfirmat, Epistolas Pontificum decretales numerari debere inter Scripturas Canonicas, & quod dicit, Conciliorum canones ejusdem esse auctoritatis cum Epistolis decretalibus.* Quæ hinc ne cætur consequentia, nemo non videt. Bellarminus autem, ne quid ex hac *Gratiani* Sententiâ ad S. Scripturæ injuriam, honorisq; eidem debiti detrimentum sequi videatur, post

dist. 19.
& 20.

post